

Band IV., Nr. 1204, Seite 271-274

Bischof Eberhard von Konstanz verkauft seine Burg und Besitzungen in Wittlingen mit dem Berg und den Zugehörungen, welche gemeiniglich Leibgedinge benannt werden, dem Grafen Ulrich von Württemberg unter näher aufgeführten Bedingungen zu erblichen Lehen.

Konstanz, 1251. Juli 1.

Eberhardvs, dei gratia Constantiensis episcopus, omnibus hanc paginam inspecturis salutem in Christo eternam. Expediit reipublice, contractus bona fide initos firmiter custodiri. Presentes igitur noverint et futuri, quod nos accedente capituli nostri et ministerialium ecclesie Constantiensis consilio et consensu castrum et possessiones nostras Witelingen cum monte¹ ac suis pertinentiis, que vulgariter dicuntur *liebgedinge*, nobili viro, comiti Vl. de Wirtenberc, pro mille et centum marchis legalis argenti ac puri, quarum CC^{te} in festo beati Iacobi nunc instantis et in festo beati Michahelis et in festo beati Iacobi et beati Michahelis anni futuri, divisim in utroque termino ducente, nobis solvende sunt, vendidimus cum toto iure, et si aliquis de ministerialibus voluerit esse suus, hoc nostre non erit contrarium voluntati, ita tamen, quod idem comes et heredes sui idem castrum et possessiones sibi intus et extra pertinentes ab ecclesia Constantiensi debent habere in foedum nec nos nec aliquis successorum nostrorum debemus ipsi comiti teneri de evictione, quod vulgariter dicitur prestare warandiam, de castro vel possessionibus memoratis. Pro solutione autem argenti predicti in debitis et constitutis terminis facienda nobis predictus comes dare debet sex obsides in vinculis, quorum quilibet ad minus debet decem annos habere, quorum unus erit filius nobilis viri Fr. de Ebersperc², alter filius domini Wernheri de Bernhusen, tercius filius domini Eb. dapiferi de Stettin, tres vero alii dabuntur de istis septem, videlicet de filiis dominorum de Waldenstain, de Vrbach, Wolframmi de Vrowenberc, Filiners, fratre M. de Bernhusen, H. de Honberc³ et B. de Sperwêrsegge, et si aliquis predictorum sex obsidum durante obstagio decesserit aut auffugerit, in locum illius post ammonitionem factam infra quatuordecim dies comes dabit alium, quem nos acceptabimus, eque bonum, vel alii obsides se presentabunt, numquam de Constancia recessuri, nisi prius istud fuerit adimpletum. Preterea comes ipse obses erit et dabit secum tres alios dominos de quatuor istis, videlicet comite H. de Grüningen,

¹Vielleicht Berg, Bad Urach, RT, W.

²Ebersberg, Kaisersberg, WN (zweifelhaft).

³Ober- und Unterhomberg, Deggenhausertal, FN (zweifelhaft).

II

E. comite de Nellenburch, R. de Hewen et comite Wolf(rado) de Veringen vel uno de filiis suis, et si filium comitis Wolfra(di) dederit obsidem, si ille fideiussionem nobis factam non attenderit, contra personam predicti comitis Wolf(radi) patris sui terras, homines, colonos, familiam suam et ecclesias, ac si ipsemet esse[t] fideiussor vel obses, procedetur, et de hoc hōbis per suas patentēs litteras conferat facultatem. Ad hec sepefatus comes de Wirtenberc debet nobis dare sex obsides, videlicet dominum Ber. de Blanchenstain, dominum Wer. de Bernhūsen, Fr. dapiferum de Tannenuels⁴, Wolfelinum de Vūnenstain, Swanegerum de Lietenstain, Marquardum militem de Bernhusen et prepositum de Bütelsbach, qui se debent Constancie recipere post ammonitionem eis factam in faciem vel ad domicilia sua sine fraude ac dolo, infra quatuordecim dies inde, ut supra diximus, non recessuri, antequam prescripta et subscripta omnia in singulis capitulis seu articulis debito ordine et forma et terminis complebuntur. Insuper in festo beati Iacobi quod iam instat idem comes de Wirtenberc debet ipsi castro Witelingen ita providisse in expensis, quod usque ad Nativitatem domini et in festo beati Michahelis, quod usque ad festum Iacobi futurum nullum in expensis sustineat detrimentum. Item postquam in festo beati Iacobi nunc instantis nobis de ducentis marchis argenti fuerit satisfactum, predictum castrum Witelingen assignare debemus dilecto in Christo C. preposito de Sindeluingen, ut illud in sua teneat potestate. Cum vero in festo beati Michahelis de aliis ducentis marchis nobis satisfactum fuerit, idem prepositus castrum ipsi comiti assignabit et illud eidem comiti cum omnibus possessionibus et pertinenciis suis intus et extra iure feodi debemus concedere possidendum. Si autem comes in predictis duobus terminis, in festis scilicet beati Iacobi et Michahelis, de prefatis quadringentis marchis non satisfecerit pleniter, si maior pars et melior obsidum se recipiet in obstagio, prepositus predictus non dabit castrum comiti, set in sua potestate tenebit, donec nobis plene fuerit satisfactum. Si vero maior et melior pars obsidum se non recipiet, prepositus antedictus nobis tenendum restituet idem castrum quousque nobis plenius satisfiat. Si autem maior et melior pars obsidum se recipiet et postmodum, antequam nobis pleniter satisfiat, forte iuramenti ipsorum immemores, fideiussionem eandem violare seu infringere forte presumpserint, iterum prepositus nobis castrum restituet, donec nobis satisfactum fuerit, retinendum. Item si aliquis predictorum obsidum fideiussionem suam forte violare presumpserit, antequam assignetur comiti castrum vel infeodemus ipsum de illo, in locum illius alium, quem dapiferi O(ttobertoldus) de Waltpvrc et Fr. de Tannenuels acceptaverint, subrogabit comes predictus. Hiis omnibus adimpletis pro residuis quadringentis

⁴Tannenfels, Baiersbronn, FDS, oder Tannenfels bei Sursee, schweizer. Kt. Luzern (zweifelhaft).

III

marchis, que debent nobis solvi in festo beati Iacobi et beati Michahelis anni futuri, obsides nostros solummodo habebimus obligatos. Item si aliquis obsidum eorundem, sive comes vel nobilis, sive miles vel puer fuerit, durante hac fideiussione forte decesserit, in locum illius post ammonitionem factam infra quatuordecim dies detur alter, quem dapiferi Ottob(ertoldus) de Walpvrc et Fr. de Tannenuels elegerint, et si alter illorum mortuus forte fuerit, alter superstes hoc nichilominus faciat vel se recipiet in obstagium, et si unum elegerint et ille non detur in locum premortui infra tempus statutum, omnes obsides se presentent, donec ei fuerit substitutus. Ad hec si prepositus de Sindeluingen medio tempore debitum carnis exsolvat, quicquid ipse iussus est facere, hoc prepositus de Butelsbach exequatur fideliter loco sui. Ad hec ex pacto promissimus, quod supradictus comes castrum et possessiones memoratas legare possit, cui velit, nec debeamus eum de hoc nos vel successores nostri aliquatenus impedire, quod heredibus suis quibuslibet facere non tenemur. Illud etiam est sciendum, quod, si idem comes ante festum beati Iacobi forte decesserit nec assignaverit vel demonstraverit aliquem, cui nomine et loco sui predictum castrum et possessiones debeant assignari, obsides sui sunt a nobis soluti et idem pactum seu condicio nobis et ecclesie competit, si nos usque ad illum terminum moriemur. Item summa memorati supra argenti nobis debet Constancie iuxta pondus ibidem in singulis terminis sub dampno et periculo comitis assignari. Si vero eo tempore, quo restitutio predicti castri vel argenti solutio fieri debet, nos forte rebus simus humanis exempti, tunc quatuor de capitulo nostro, videlicet preposito, custodi, L. de Schiltberc⁵ et Walt(ero) Thitelario, de ministerialibus IIII^{OR}, videlicet R. de Bodime, Fr. de Schonenberc, Ber. de Annewilere seniori et Herdegen de Haidelberc, et IIII^{OR} de civibus, Ministro, Vl. in Arena, H. de Bizenhouen et Monetario, debet fieri restitutio vel solutio argenti nomine ecclesie Constantiensis. Si autem omnes isti solutioni vel receptioni dicte pecunie vel argenti simul interesse non possint aut nolint, tunc uni de capitulo, videlicet preposito, uni de ministerialibus, scilicet Fr. de Schonenberc, et uni civium predictorum, scilicet Vl. de Arena, fiat solutio supradicta, et si forte unus predictorum trium interesse solutioni prefate noluerit aut non possit, alii duo tercium de illis quorum ille quartus erat assumant, [quem] ad hoc esse noverint meliorem. Illud etiam debet sciri, quod predicti duodecim tenentur vendicionem et omnia que superius sunt expressa loco et nomine ecclesie Constantiensis perficere et implere ipsi comiti de Wirtenberc et nobilibus viris, R. de Asperc et Vl. fratri^a suo et R. de Tuwingen comitibus, marito sororis sue, quos ipse

^aIn der Urkunde ist irrtümlich zweimal *fratre* gesetzt.

⁵Schiltberc, AIC; vgl. Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins 1 (1850) - 39 (1885), N.F. 1=40 (1886) - [...], Bd. 28, S. 32.

IV

in locum suum sibi substituit, si prius decesserit ipse, quam completa fuerint predicta, ad complendum et perficiendum omnia et singula supradicta. Ut autem hec perpetuo maneant inconcussa, presentem paginam scribi fecimus et ipsi comiti tradi, in testimonium sigillorum nostri nostrique capituli munimine roboratam.

 Datum Constantie, kalendis Iulii, anno domini M^o. CC^o. L^[o] primo. In domino feliciter. Amen.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 An Pergamentstreifen hängen die Siegel des Bischofs Eberhard und des Kapitels von Konstanz, das erstere aus gelblichbraunem Wachs, abgesehen vom Rand und der darauf befindlichen, nur noch teilweise vorhandenen Umschrift, wohl erhalten, wie es bei WUB_Band IV., Nr. 1128, S. 194 und WUB_Band IV., Nr. 1149, S. 216 beschrieben ist; das zweite aus Wachs, namentlich am Rand sehr abgerieben, wie schon bei WUB_Band III., Nr. 931, S. 435 beschrieben.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 601 U 28

Editionen:

Württembergische Jahrbücher, Jg. 1830, Hft. 1, S. 155.

Regesten:

Chartularium Sangallense, Bd. 3, S. 357, Nr. 1470.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Konstanz

Aussteller:

Eberhard II.; Bischof von Konstanz

Ortsindex:

(Burg) Württemberg Wüstung (21519)
 (Burg) Württemberg, Stuttgart, S, W
 Andwil, Birwinken, Kt. Thurgau, Schweiz
 Asperg Wohnplatz (878)
 Asperg, LB
 Berg Wüstung (26232)
 Berg, Bad Urach, RT, W
 Bernhausen Wohnplatz (481)
 Bernhausen, Filderstadt, ES
 Beutelsbach Wohnplatz (1751)
 Beutelsbach, Weinstadt, WN
 Bitzenhofen Wohnplatz (18149)
 Bitzenhofen, Oberteuringen, FN
 Bodman Wohnplatz (14778)
 Bodman, Bodman-Ludwigshafen, KN
 Burg Hohenhewen Wüstung (23449)
 Burg Hohenhewen, Engen, KN, W
 Dapfen : Gomadingen RT
 Dapfen Wohnplatz (15849)
 Ebersberg Wohnplatz (1377)
 Ebersberg, Kaisersbach, WN
 Feuerbach : Stuttgart S
 Feuerbach Wohnplatz (17)
 Grüningen Wohnplatz (17484)
 Grüningen, Riedlingen, BC
 Heidelberg, Hohentannen, Kt. Thurgau, Schweiz
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Nellenburg Wohnplatz (14664)
 Nellenburg,

VI

Stockach, KN
 Oberhomberg Wohnplatz (18522)
 Oberhomberg, Deggenhausertal, FN
 Schiltberg, AIC
 Schloss Lichtenstein : Honau, Lichtenstein RT
 Schloss Lichtenstein Wohnplatz (16083)
 Schönenberg, Kradolf-Schönenberg, Kt. Thurgau, Schweiz
 Sindelfingen Wohnplatz (211)
 Sindelfingen, BB
 Sperberseck (Burg) Wüstung (21631)
 Sperberseck (Burg), Lenningen, ES, W
 Stetten : Kernen im Remstal WN
 Stetten Wohnplatz (1765)
 Tannenfels Wohnplatz (7369)
 Tannenfels, Baiersbronn, FDS
 Tannenfels, Nottwil, Kt. Luzern, Schweiz
 Tübingen Wohnplatz (16214)
 Tübingen, Tü
 Unterhomberg Wohnplatz (18544)
 Unterhomberg, Deggenhausertal, FN
 Urbach WN
 Urbach Gemeinde (1608)
 Veringenstadt SIG
 Veringenstadt Gemeinde (21373)
 Waldburg Wohnplatz (20306)
 Waldburg, RV
 Waldenstein Wohnplatz (1557)
 Waldenstein, Rudersberg, WN
 Winzerhausen : Großbottwar LB
 Winzerhausen Wohnplatz (984)
 Wittlingen Wohnplatz (16013)
 Wittlingen, Bad Urach, RT